

No. 339. 1305. 10. Juni.

B. Albrecht III. verkauft um Geldmittel zur Wiedererlangung des widerrechtlich entrissenen Schlosses Stolpen zu erhalten, fünf Hufen zu Stenz an das Afrakloster zu Meissen.

Albertus dei gratia Misnensis ecclesiae episcopus universis Christi fidelibus in perpetuum. Ne ea quae geruntur in tempore, pariter cum fluxu temporis dilabantur, necessarium est acta hominum rationabilia scripti testimonio roborari. Notum igitur esse volumus tam praesentibus quam futuris, quod magna necessitate et debitorum onere nos premente, maxime ut castrum ecclesiae nostrae Stolpen a nobis fraudulenter raptum sine causa redimere nos possemus, de maturo consilio et deliberato animo, ut maius periculum vitaremus, quinque mansos in villa Stenz^{a)} sita in nostra proprietate, quos libere possedimus, honorabili viro Conrado praeposito regularium canonicorum sanctae Aerae in Misna suoque conventui et ecclesiae ibidem cum omni fructu et utilitate ac proventibus quibuscunque, qui eisdem insunt et inesse poterunt in futurum, cum omnibus suis pertinentiis et iuribus vendidimus iusto emptionis titulo pro quinquaginta marcis argenti usualis ponderis et monetae, iure proprietario ex nunc et in posterum ab eisdem et eorum successoribus perpetue possidendos; dantes ipsis nec non ecclesiae eorundem dictorum mansorum proprietatem in his scriptis liberam, pacificam et quietam. Dictum quoque praepositum nomine sui conventus et ecclesiae investivimus eisdem mansis cum proprietate et universis pertinentiis eorundem et praesentibus investimus, adhibitis debitis sollempnitatibus et consuetis. Ut autem praedicta nostra venditio ac appropriatio firma et perpetua permaneat, nos praesens scriptum in robur et testimonium omnium praescriptorum conscribi fecimus et sigilli nostri munimine roborari. Datum Mogelin anno domini M^o. CCC^o. V^o. III^o Idus Junii. Testes huius rei sunt dominus Albertus de Luppe archidiaconus Nisicensis, Lutoldus de Goruwitz canonici Misnenses, Johannes dictus Bulejan, Henricus de Ertmarshayn et Conradus nostrae curiae capellani, et quam plures alii fide digni.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, das Siegel ist abhanden gekommen.
Ursinus Gesch. d. Domkirche zu Meissen S. 238.

a) Stenz, Par. Königsbrück.

No. 340. 1306. 23. Juli.

K. Albrecht bestätigt eine durch K. Wenzel von Böhmen während seiner Verwaltung der Markgrafschaft zu einer Vicarie in der Domkirche gemachte Schenkung. Vgl. No. 331.

Nos Albertus dei gratia Romanorum rex semper augustus ad universorum sacri Romani imperii fidelium notitiam volumus pervenire, quod quorundam reddituum donationem proprietatis, quam illustris quondam Wentzeslaus rex Bohemiae eo tempore, quo nostro nomine regebat terram Misnensem, pro sacerdotali vicaria ecclesiae Misnensis fecisse dinoscitur, prout suis apparere potest litteris, sicut rite iuste et rationabiliter